

CAPUT V.
DE
NUMMIS MERSEBURGENSIBUS.

§. I.

DE his nobis licebit esse brevioribus, quo pauciora de iis sunt prodita, nummis vel ipsis etiam tenuis hac haud visis. Lego enim, Plur. Rev. *Olearium*, à Clar. *Tentzelio* de iis consultum, aliquando rescripsisse: *nihil sibi huc usque de nummis Merseburgensibus esse repertum.* (a) Extant equidem de hoc Episcopatu *Dithmari, Episcopi Merseburgensis*, Chronicon, Libris VIII. constans, tum à *Reinero Reineccio* A. 1580. Francofurti & A. 1606. Lipsiæ in forma majore; tum à *Johanne Joachimo Madero* anno 1667. *Helmstadii* in forma media evulgatum, tum novissime ab Excellentiss. *Godofredo Guilielmo Leibnitio* anno 1707. emendatius in forma itidem majore editum & Tomo I. *Rerum Brunsvicensium* insertum; *Ernesti* dehinc *Brocussii, Consulis Merseburgensis*, *Antiquitates & Chronica Merseburgensia*, duobus libris absoluta, *Budissæque* anno 1556. in forma media & mox postea in majore quoque excusa, anno vero 1606. de novo à *Georgio Hahnio* sub incudem revocata, & ad sua tempora aucta, continuataque, ac *Lipsiæ* in forma folii, ut vocant, in lucem missa; Novissime autem *Johannis Vulpii* quoque *Megalurgia Martisburgica* *Quedlinburgi* anno 1700. in forma prodiit media. Sed quantum in hac parte præsidii inde sit sperandum, vellem B. L. illos consulat ipse.

§. II. Ad nummos ipsos nos conferimus, conspicimusque hujus Episcopatus unum N. 71. Tab. IV. Exhibet hic ipse caput Episcopi, mitra Episcopali tectum, ornatumque, circumscriptum etiam

(a) Ep. MSta ad Tentzelium A, 1691.